

Concilium. Epistola Joannis VIII. ad Alphonsum Regem est cccix. in Registro Epistolarum Joannis VIII. qui ei concedit, ut Ovetensis Ecclesia Gallaciæ Metropolitana efficiatur. Ea vero Epistola, qua Summus ille Pontifex annuit, ut Ecclesia Sancti Jacobi consecreretur, est ordine cccx. Has Joannis Octavi Papæ literas, ubi accepisset Alphonfus Rex, venit cum uxore sua, & filiis, ac Episcopis, & totius Regni comitibus, consecrataque Ecclesia, coegit Synodum, in qua Ovetensis Urbis Metropolis declarata fuit, actumque insuper de restituendis Sedibus à Saracenis depopulatis, & de Episcopis, qui eis præfici debebant. Hujus Synodi Ovetensis Acta, quæ nunquam hæcenus fuerant edita, publicavit Eminentiss. Card. de Aguirre, eaque inseruit Tom. 3. Conciliorum Hispaniæ (a). Regnavit Alphonfus Magnus in Hispania ab anno 866. usque ad an. 910. quo sponte Regnum abdicavit, illudque Garfia filio suo, qui tamen nihil non moliebatur, ut illum e Regno deiceret, raro sane exemplo tradidit, victus tot tumultuum in Regno ab eo excitatorum tædio, & anno sequenti abiit e vivis. Sed de Statu Ecclesiæ sub Hispaniarum Regibus, qui Hispaniarum Regnum nono sæculo potiti sunt, hæc pauca deslorasse sufficiat.

„ (a) Ovetense Concilium vulgavit quidem Sandovallius, sed simul illigavit an. 877. quod & Pagius admittit, & re discussa recognoscit. Ad statum quod attinet Ecclesiæ sub Regibus, qui nono sæculo Angliæ Regnum administrarunt, breviter dicam, res Ecclesiæ eo in Regno optimo loco fuisse ob pietatem Regum, qui ei præfuerunt. Egbertus siquidem abnepos Inæ Occidentalium Saxonum in Anglia Regis, qui octavo sæculo Regnum suum Romano Pontifici vestigale fecit (quod Sancti Petri denarium vocant) West-Saxiæ Regnum adeptus, anno æræ Christianæ octingentesimo, Bernulphum Merciorum Regem, & Bahredum Cantiorum Regem debellavit, eorumque Regna, necnon & Northumbriam adjunxit Regno West-Saxiæ, ita ut in unam Monarchiam tot Britannæ Regna inter se olim omnino divisa, tum temporis coaluerint. Egbertus Angliæ Rex, post fusam ingentem Danorum multitudinem irruptionibus Angliam infestantium, obiit anno dcccxxxviii. filiumque suum Ethelvulphum Regni reliquit hæredem, qui compositis Regni sui rebus, Romam, Religionis ergo, sese contulit, & a Leone IV. Summo Pontifice humanissime exceptus, Ecclesiæ Romanæ eam Insulæ partem, quam Egbertus pater ad Regnum adjunxerat, vestigalem fecit (a), & postquam per viginti annos Angliæ Regnum sapienter administrasset, pie decessit an. 857. Quatuor superstites reliquit filios Ethelbaldum, Ethelbertum, Ethelredum, & Alfredum, qui postremus, licet ætate minor esset, animi tamen & constantia, & pietate suis fratribus, qui ante ipsum in Anglia regnarunt, se prodidit majorem. Is quippe a patre suo Ethelvulpho Romam missus, & a Leone IV. Pontifice Maximo Rex inauguratus, Regnum Angliæ adiit anno dcccxxxii. sed

Danorum, qui ferro flammaque omnia in Anglia sus deque miscabant, incursionibus vexatus, ad extremas angustias redactus est, & in Insulam *Adelingiam* pius Princeps sese recipere coactus est, ibique permansit, donec, congregatis undequaque auxiliis, Danos conferto prælio strenue aggressus est, eosque, divino nutu victoria potitus, incredibili cæde prostravit, Regnumque suum, a quo exulabat, recuperavit universum. Qui ex illa ingenti clade residui fuerunt Dani, datis obsidibus, Christo se nomen daturus polliciti, Victoris animum misericordie permoverunt. Godrus, seu Gormundus Danorum Rex cum triginta proceribus, & populi maxima multitudine, susceptus est e sacro Fonte ab Alfredo Angliæ Rege, qui ei dedit Provincias Orientalium Anglorum, & Northanymbrorum, ut eas sub fidelitate Regis foveret jure hereditario, quas pervaserat latrocinio, sicut ait *Willelmus Malmesburienensis* lib. 2. de Gestis Regum Anglorum cap. 4. Restitutus in Regnum suum Alfredus votum, cui sese obstrinxerat priusquam victoria potiretur, solvit, & Andeligionam Arcem in Cænobium Monachorum commutavit, ut fusc narrat *Afferus Schireburgensis Episcopus* in libro de *Alfredi rebus gestis* pag. 18. Leges Sanctissimas condidit ac promulgavit Alfredus Rex, totusque pietatis, & litteris deditus, ita tempus omne suum dividebat, ut ex horis viginti quatuor, quibus dies naturalis constat, octo in Oratione, Lectione, & Scriptione; octo in cura corporis necessaria; octo in expediendis Regni negotiis consumeret. *Missam quotidie audire, Psalmos quosdam, & Orationes, & Horas diurnas, & nocturnas celebrare, & Ecclesiis nocturno tempore orandi causa clam a suis adire solebat & frequentabat*, teste mox laudato *Affero*, apud quem de pietate & doctrina Alfredi Anglorum Regis, de ejus in Ecclesiis & pauperes liberalitate, atque de cæteris, quibus exornatus fuit, eximiis dotibus, plura legi possunt. Obiit religiosissimus iste Anglorum Rex anno Christi nongentesimo, Regni sui tricésimo, eoque mortuo, *Eduardus* ejus filius Angliæ Regnum obtinuit, quod quanta modestia, quanta justitiæ laude gubernaverit, ostendam in colloquio primo in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. Hic tantum velim obiter observes, quantum in Religione, & in Sedem Apostolicam observantia antiqui Angli distent a modernis, qui variis (proh dolor!) erroribus seducti, ab avita Majorum suorum Religione recesserunt, tamque insensu odio Ecclesiam Romanam prosequuntur, ut modo omnibus promiscue sectis suos cœtus ac peculiare Ecclesiæ impune habendi in suo Regno potestatem ultro permittant, solis vero Catholicis cœtus & Ecclesias habere districte inhibeat.

„ (a) Vestigal ab Angliæ Regibus ex donatione Ethelvulfi pendendum Ecclesiæ Romanæ non petebatur tantummodo ex provinciis a patre ejus regno adjectis, sed ex toto Angliæ regno quod possidebat. Ita sentiunt auctores, fere omnes rerum Anglicanarum, teste *Spelmano*, qui in nota ad diploma Ethelvulfi ita

„ mo-

„ monet: donationis beneficium porrigunt auctores ad totam Angliam.

D. Statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui nono sæculo tam in Oriente, quam in Occidente, rerum potiti sunt, plane perspectum habeo. At nunc scire velim, an Christiana Religio sæculo nono apud barbaras & infideles nationes fuerit propagata?

M. Complures Nationes barbaræ & infideles nono Ecclesiæ sæculo Fidei Christianæ lumine fuerunt illustratæ. In primis, *Carolus Magnus* Imperator ad promovendam *Nordalbingorum* conversionem misit *Heridacum* Presbyterum, & post *Heridacum*, ad tentandam eorundem populorum conversionem, a *Paschali* Pontifice Maximo, & a *Ludovico Pio* Imperatore missus est *Ebbo* Archiepiscopus Remensis. Verum, quod *Carolus Magnus* per *Heridacum*, nullo fructu, quod *Paschalis* Summus Pontifex, & *Ludovicus Pius* Imperator per *Ebbonem* Archiepiscopum Remensem, adjutore *Hadligario*, parvis initiis apud *Nordalbingos* tentaverant, gentium videlicet Septentrionalium conversionem; feliciter tandem perfecit *Anscharius* Monachus, qui sub finem anni dcccxxvi. in Danorum Regionem a *Ludovico Pio* Imperatore, Evangelii prædicandi causa missus, dein, post biennium apud Suecos anno dimidio commoratus, postea, curante eodem *Ludovico* Imperatore, *Hammaburgi*, seu *Nordalbingorum*, populorum, videlicet, trans *Albim* incolentium, Archiepiscopus creatus est anno 832. Insuper, a *Gregorio IV.* Summo Pontifice *Anscharius* constitutus est Legatus in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, idest, Suecorum, Danorum, necnon etiam *Sclavonorum*, vel in cæteris ubicumque illis in partibus constituitis, divina pietas ostium aperuerit, sicut in ejusdem *Gregorii* Papæ litteris legitur. In conversionem Septentrionalium Regionum *S. Anscharius* annos fere octo & triginta insumpsit, eamque sæpius ab aliis tentatam, ad optatum exitum perduxit, ut testatur *Adamus Bremensis* lib. 1. cap. 16. his verbis: *O mira Omnipotentis Dei providentia de vocatione gentium, quam disponit artifex, ut vult, & quando vult, & per quem vult! Ecce quod longo prius tempore Willebrordum, & Ebbonem, aliosque voluisse legimus, nec potuisse; tum Anscharium nostrum & voluisse & perfecisse, miramur. Et in fine Historiæ suæ: Hæc sunt, inquit, quæ de natura Septentrionalium Regionum comperimus ad honorem Sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ proponenda, quam tanto munere divine pietatis præditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum hæc Metropolis facta est, labore sue predicationis ex magna jam parte conversos habeat ad Christianitatem, ibi solummodo ponens evangelizandi silentium, ubi Mundus habet terminum: quæ salutaris gentium legatio primum ab *Ansgario* incepta, prosperis semper usque in hodiernum diem aucta est incrementis. Præter Danos, & Sveones, idest, Suecos, Sanctus *Anscharius* ad Fidem Christianam adduxit Frisios Orientales cis *Todam* fluvium incolentes in pagis *Ruistri*, *Absterga*, seu *Osterga*,*

Nordendi, ac *Wanga*, ut legitur in Vita ejusdem Sancti *Anscharii* Archiepiscopi Hammaburgensis, & *Bremensis* Septentrionalium Regionum Apostoli, quam a Sancto *Remberto* ejus discipulo descriptam referunt *Mabillonius* parte II. sæculi IV. *Benedictini*, quod est Ecclesiæ nonum, & *Bollandus* ad diem 11. mensis Februarii, qua colitur *S. Anscharius*.

Eodem sæculo nono, hoc est, anno dcccxxi. *Bogoris* Bulgarorum Rex, hortante sorore sua, quæ bello capta, Christianam Fidem susceperat, cum suis populis baptizatus est, & *Michaelis* nomine a *Michaele* tum temporis Orientis Imperatore donatus est. Post aliquot vero annos rebus Ecclesiæ optime in Regno suo constitutis, divina inspiratione commotus, ut ait *Annalista* *Metensis*, Regnum terrenum dimisit (*Bogoris* Bulgarorum Rex) ut in Cælis æternaliter regnaret cum Christo, & ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, commam capitis deposuit, habituque sanctæ conversationis suscepto, Monachus effectus est. *Eleemosynis, vigiliis, orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem constituerat, longe a paterna intentione & operatione recedens, prædas cepit agere, ebrietatibus, comestationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum Pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & cultu Regio indutus, ad sociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est, quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, & in carcerem misit. Deinde, convocato omni Regno suo, filium juniorem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviare. His ita gestis, deposito cingulo, & resumpto sacre Religionis habitu, ad Monasterium regressus, in sancta conversatione reliquum vite presentis tempus duxit. Hoc præclaro *Bogoris* Bulgarorum Regis exemplo excitatus *Ravilanus* *Moraviæ* Princeps, abjectis Idolis, Christianam Fidem cum populo suo anno dcccxxvi. Imperante in Oriente *Michaele*, amplexus est, ad quam conversionem haud parum contulerunt *Methodius*, ejusque frater *Cyrillus*, ut videre est in eorum Vita ab Auctore Anonymo descripta, & ab *Henschenio* ad diem IX. mensis Martii recitata. Sed tempus est ut præsentis Colloquio finem imponamus, aliud postredie habituri de serie Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.*

COLLOQUIUM II.

In quo textitur Series Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. Eonem hujus nominis Tertium sub finem Octavi Ecclesiæ sæculi *Hadriano I.* Romano Pontifici successisse, memini te obiter observasse in Colloquio secundo in Historiam præcedentis sæculi. Sed quot annos federit *Leo III.* & quæ in suo Pontificatu laude ac commendatione digna gesserit, impræsentiarum narrare & breviter exponere debes.

M. Mor.

M. Mortuo *Hadriano Primo* Pontifice Maximo die xxv. mensis Decembris anno dcccxcv. *Leo* hujus nominis Tertius Pontifex Romanus fuit ordinatus die xxvii. mensis Decembris ejusdem anni, sedique, teste Anastasio Bibliothecario, annos viginti, menses quinque, dies sexdecim, & ex hac vita migravit die undecima mensis Junii anni dcccxcvi. Multa in suo Pontificatu præclare gessit, quæ hic perstringemus. In primis, *Leo III.* Summus Pontifex anno septingentesimo nonagesimo sexto misit ad *Carolus Magnum*, tanquam Ecclesiæ defensorum, claves aureas ex Confectione, seu Sepulchro Sancti Petri acceptas, & Vexillum Urbis Romæ, quod *Carolus Magnus* grato animo suscepit, & magnam thesauri *Avarorum* partem, quam *Henricus Dux* Forojulienis ad ipsum transierat, dono dedit eidem Summo Pontifici, quem semper singulari observantia coluit, & sceleratorum quorundam hominum factione pene oppressum, in pristinam libertatem, ac dignitatem vindicavit. Enim vero, refert *Anastasio Bibliothecarius*, *Leonem Tertium* Summum Pontificem a factiosis hominibus anno dcccxcix. Romæ comprehensum, effosis oculis, abscissa lingua, & multis plagis faucium ac cruentatum, in tetrum carcerem fuisse conjectum, ipsum tamen, insigni miraculo, restitutus oculis, & lingua sanatum, atque adventante *Winigiso* Duce Spolerano cum suo exercitu e carcere liberatum, adiiisse Spoletum, ubi tantisper recreatus, se ad *Carolus Magnum* contulit, bello tum temporis Saxonico implicitum, qui Romam Sanctum illum Pontificem magno cum honore reduci, & in Sedem Apostolicam, applaudentibus Clero, populoque Romano, restitui curavit. Quin & ipse *Carolus Magnus*, ut tanto sacrilegio debitas pœnas exigeret, Romam venit anno dccc. ubi, convocata Episcoporum Synodo, causam Pontificis judicari mandavit. *Visum est autem*, inquit *Annalista Lambecianus*, qui hoc tempore vivebat, piissimo *Principi Carolo*, & universis Episcopis, & Sanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut, si ejus, idest *Leonis III.* voluntas fuisset, & ipse petiisset, non tamen per eorum iudicium, sed spontanea voluntate se purificare debuisset, & ita factum est. Et ipso Sacramento expleto, incipiebant illi Sancti Episcopi cum universo Clero, seu ipso Principe *Carolo* cum devoto Christiano populo Hymnum *Te Deum* laudamus &c. quo expleto & ipse Rex & universus populus fidelis cum eo dabant laudem Deo, quia ipsum Apostolicum *Leonem* & sanum in corpore & animo moverunt habere. Mansit *Leo Tertius* Romæ usque ad annum dccciv. quo a *Carolo Magno* rogatus ut sedulo inquireret, an re vera Sanguis Christi Domini, ut fama vulgaverat, Mantuæ fuisset repertus? Primum in Longobardiam profectus est, ut Imperatoris desiderio faceret satis. Dein, recta ad ipsum Imperatorem perrexit, a quo pietate & humanitate incredibili exceptus est. Sunt nonnulli, qui post *Baronium* existimant, *Leonem III.* inde cum *Carolo Magno* *Werdam* accessisse, ibique ejus rogatu *Sanctum Suibertum*, post lectam ipsius Vitam, explora-

taque ejus miracula, post multas preces & jejunia, de Episcoporum consensu, solemni ritu, inter sacrosanctum Missæ Sacrificium, Sanctorum Confessorum publicis tabulis adscriptis, Festumque in ejus venerationem indixisse, atque confluentibus devotionis ergo populis Indulgentias promulgasse. Quod ex Epistola S. *Ludgeri* Monasteriensis Episcopi ad *Risfridum* Traiectensem Episcopum adstruere conatur *Cardinalis Baronius*. Verum, totam illam narrationem, & *Ludgeri* Epistolam commentitiam esse, multis momentis evincunt periti Critici, præcipue doctissimus *Pater Joannes Morinus* in Commentario de administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 10. cap. 20. ubi hæc habet: *Conficta est Epistola ante forsan trecentos annos, aut, ut maxime, ante quadringentos, nomine Sancti Ludgeri ab aliquo Werdensi Monacho, in sui Monasterii commodum & gloriam.* Deinde, *Sancti Suibertii* in Sanctorum Catalogum relationem eodem modo & ordine enarrat, quo nunc & ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem, hanc celebrationem cœpisse trecentis post *Leonem Tertium* annis & amplius. Primus, quem perhibent antiqua documenta, solemniter a Pontificibus canonizatum fuisse, est *Hugo Carthusianus*, & *Gratianopolitanus Episcopus*; secundus est *Sanctus Bernardus*. Sed considera quæ Epistole, sive Bullæ Pontificum de istorum Sanctorum Canonizatione referunt, & ea compara cum iis, quæ Auctor ille de *Sancti Suibertii* Canonizatione scribit, deprehendesque ceremonias hodiernas a *Leone Tertio* multo diligentius, & copiosius, quam ab *Innocentio II.* aut *Alexandro Tertio* fuisse observatas. Quod argumentum certum est ipsius Epistolæ Auctorem post annum MCC. scripsisse. Ante *Innocentium II.* & *Alexandrum Tertium*, simplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex *Petro Damiano* constat in fine vite *Sancti Romualdi*, testaturque *Cardinalis Baronius* ad annum Christi MXXVII. Obtinebatur ab iis, quibus curæ erat illa Canonizatio, a Sede Apostolica facultas Altare supra Corpus defuncti erigendi. Eo erecto, peracta erat Canonizationis solemnitas. Post illud tempus ceremoniæ sanctæ illius actionis paulatim factæ sunt augustiores. Demum, post alias adductas rationes concludit *Morinus*: Multa sunt alia ejusdem criminis argumenta, quæ longum esset persequi. Undique enim rimosa est Historia ista, & fabellis veritati assutis fatiscit. Legi possunt etiam *Henschenius* ad diem XXVI. mensis Martii in Commentario prævio ad Vitam *Sancti Ludgeri*, & *Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum dcccv. ubi non pauca adversus eam *Sancti Ludgeri* Epistolam, quam supposititiam esse censent, annotarunt. Expungi itaque debet, juxta peritos illos Criticos ex Actis *Leonis Tertii* Summi Pontificis hæc *Sancti Suibertii* Canonizatio *Werdæ*, præsentem *Carolo Magno*, celebrata. Romam reversus *Leo Tertius* Ecclesiæ Urbis instauravit singulari munificentia, cujus monumenta exhibet *Anastasio Bibliothecarius* in ejus Vita. Retinendæ antiquitatis adeo tenax fuit Sum-

Summus ille Pontifex, ut Symbolum cum additamento particulæ *Filioque*, quod Romana Ecclesia necdum ei inseruerat, a Francis decantari moleste admodum tulerit, nec ad illud additamentum sua autoritate approbandum, induci unquam potuerit, exoratus licet a Legatis a *Carolo Magno* eam ob rem, Romam missis, *Bernario* nimirum *Wormaciensi* Episcopo, *Jesse* *Ambianensi* Antistite, & *Abelardo* *Corbejensi* Abate. Quare sibi semper constans *Leo III.* duas Tabulas argenteas in Basilica S. Petri ad Confectionem, seu Sepulchrum ejusdem S. Petri attingendas curavit, in quarum una Symbolum græce scriptum, in altera latine exaratum legebatur, utrobique sine hoc additamento *Filioque*. Meminit illarum Tabularum *Anastasio Bibliothecarius*; Acta vero Collationis, quam *Leo III.* Summus Pontifex habuit cum Legatis *Caroli Magni*, circa Quæstionem de additamento particulæ *Filioque*, descripta a *Smaragdo* Abate, ex quo *Sirmondus* ea tomo 11. Conciliorum Galliæ inseruit (a). Denique, *Leo Tertius* meritis plenus obiit, & post mortem Sanctorum Faltis adscriptus est, ut videre est apud *Henschenium* ad diem xi. mensis Aprilis, quo *Sanctus Leo Magnus* colitur, ubi laudatus Author ex MSS. Catalogo Ecclesiæ *Sancti Petri* refert Historiam translationis Corporis *Sancti Leonis Magni*, una cum Ossibus aliorum *Leonum* Summorum Pontificum *Secundi*, *Tertii*, & *Quarti*, solemni ritu in novum Templum factæ, die xxvii. mensis Maji an. 1607. præsentem *Paulo Papa V.* qui eorundem Sanctorum Corpora videre voluit.

„ (a) Acta collationis *Leonis III.* cum Legatis *Caroli Magni* nactus ego sum olim in „ vetusto Codice bibliothecæ Universitatis *Taurinensis*, eaque cum editis contuli, ex qua variantes plurimæ expressæ sunt, quas ego in nova Conciliorum editione prolaturus sum.

Post *Leonis Tertii* mortem, quæ, ut jam diximus, contigit die xi. mensis Junii anni dcccxcvi. vacavit Sedes Pontificia dies decem, teste *Anastasio Bibliothecario*, & die viceßima secunda ejusdem mensis, & anni, *Stephanus* hujus nominis V. Patria Romanus, Pontifex Maximus consecratus est. Qui, ut primum fuit inauguratus, in Gallias profectus est, ut *Ludovicum Pium* consecraret Imperatorem, una cum *Irmingarde* ejus conjuge. Quo magnificentiæ apparatu, quibus lætitiæ signis a *Ludovico Pio* Imperatore *Sanctus* ille Pontifex in Gallias fuerit exceptus, accurate describit *Tibeganus* *Chorepiscopus Trevirensis*, & Auctor coævus in libro, quem de Gestis *Ludovici Pii* edidit his verbis: Perrexit Dominus *Ludovicus* obviam supradicto Pontifici, obvians ei in Campo magno *Remensium*. Descendit uterque de equo suo, & Princeps se prosternens omni Corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertio vice erectus salutavit Pontificem. Postea, Pontifex honoravit eum magnis honoribus, & multis, & *Reginam Irmingardem*, & omnes Optimates, & Ministros ejus. Et in proxima die Dominica, in Ecclesia ante Missarum solemniam, coram Clero, & omni populo conse-

cravit eum, & unxit Imperatorem, & Coronam auream miræ pulchritudinis, & pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum apportaverat, posuit super caput ejus. Et *Irmingardem* *Reginam* appellavit *Augustam*, & posuit Coronam auream super caput ejus. Quamdiu ibi erat *Beatissimus Papa*, quotidie Colloquium habebant de utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ. Post quod Dominus Imperator eum honoravit magnis, & innumervis donis tripliciter, & amplius quam suscepisset ab eo. dimisit eum ire Romam cum Legatis suis, quibus præcepit ubique in itinere suo honestum exhibere servitium. Romam reversus *Stephanus V.* diem ultimum paulo post clausit die xxiv. mensis Januarii anno dcccxcvii. unde menses septem dumtaxat Pontificatum tenuit, & in ejus locum die xxv. mensis Januarii ejusdem anni successit *Paschalis* hujus nominis I. Patria Romanus, & eximius exornatus virtutibus, castimonia præsertim, pietate, beneficentia in pauperes, assiduitate in Orationibus, Religiosæ vitæ amore conspicuus, ut videre est apud *Anastasio Bibliothecarium* in ejus Vita. Statim post consecrationem suam *Paschalis* Summus Pontifex Legatum ad *Ludovicum Pium* Imperatorem misit, qui negotio peracto, & petitis impetratis, super confirmatione scilicet pacti, & amicitie, more Prædecessorum suorum, reversus est, inquit Auctor Vitæ *Ludovici Pii* Imperatoris. Communis est Historicorum opinio, *Paschalem I.* Romanum Pontificem ab eodem Imperatore *Ludovico Pio* obtinuisse confirmationem *Pipinianæ*, & *Carolinæ* donationum, insuper *Sardinia* donationem, Edicto, quod incipit: Ego *Ludovicus*, expressam impetrasse. Verum, his merito non assentitur *Clarissimus Pagius* in Critica *Baronii* ad annum dcccxcvii. putatque, hanc *Ludovicianam* Donationem fictitiam esse, tum quia ex tot Pontificibus Romanis, qui dona a *Pipino*, & *Carolo Magno* Ecclesiæ Romanæ concessa memorarunt, nullus est, qui prædictæ Donationis *Ludovici Pii* Imperatoris meminerit, cujus tam alti silentii nulla ratio assignari potest, nisi quia Summi Pontifices justissimum habentes titulum rerum, quas Ecclesia Romana ex liberalitate Imperatorum possidebat, commentitiam illam *Ludovicianam* Donationem contempserunt; tum quia etiam *Otho Primus*, & *Henricus Primus* Imperatores singillatim ea enumerant, quæ *Pipinus*, & *Carolus Magnus* Ecclesiæ Romanæ donarunt; eaque diplomatis suis confirmant; at de ista *Ludoviciana* Donatione ne verbum quidem faciunt (a). Refert *Baronius* in Annalibus litteras, quas *Sanctus Theodorus Studita* dedit ad *Pauchalem I.* Romanum Pontificem, quibus ei significat, quanta in Oriente cultores Imaginum patiebantur incommoda, quibus litteris permotus piissimus Pontifex, quas potuit, Ecclesiæ Orientali tulit suppetias. Contra *Iconomachos* litteras scripsit gravissimas, & *Monachis Græcis* ad Ecclesiæ Romanæ gremium confugientibus Monasterium apud *Sanctam Praxedem* Romæ extruxit, & dotavit. Corpora Sanctæ *Cæciliæ* *Virginis*, & *Martyris*, una cum Corporibus Sanctorum *Martyrum Valeriani* ejus Spon-

Sponsi, *Tiburii Maximi*, necnon *Urbani*, & *Lucii* Romanorum Pontificum advenit *Paschalis* I. eaque translata in Ecclesiam Sanctae *Ceciliae* nomine nuncupatam, quam jam jam casuram a fundamentis restauravit, & juxta eam aedificavit Monasterium sub honore SS. *Virginum*, & *Martyrum Agathe*, & *Ceciliae* in loco *Collis jacentis*, ut videre est apud *Anastasium* Bibliothecarium in Vita hujus Pontificis. *Lotharium* Caesarem *Ludovici Pii* Imperatoris filium Romae an. *decxxxiii.* Imperatorem coronavit *Paschalis* I. obiitque anno sequenti die decima mensis *Februarii*, postquam sedisset, juxta accuratorem *Chronologiam*, annos *vii.* & dies *xvii.* non vero, ut ait *Baronius*, annos *vii.* menses *tres*, dies *xvi.* Post mortem *Paschalis* I. fuit Interpontificium *iv.* dierum, & die *xiv.* ejusdem mensis *Februarii*, & anni *decxxxiv.* *Eugenius* hujus nominis Secundus ordinatus est Pontifex Romanus. Fuit Vir doctissimus juxta, ac piissimus, Pater pauperum merito dictus, quibus ita consulebat, ut nullibi vilis, quam Romae annoa venderetur. Sub ejus Pontificatu, hoc est anno *815.* habita est Synodus *Parisiensis* pro cultu sacrarum Imaginum, de qua in quarto Colloquio opportunius differemus, sicut & de Synodo, quam Romae idem Summus Pontifex anno *decxxxvi.* celebravit, quamve *Hollstenius* in secunda parte *Collectionis* Romanae integram publicavit cum *xxxviii.* Canonibus ad restaurandam Ecclesiae Disciplinam in ea conditis, qui etiam *tomo viii.* Conciliorum ex *Collectione* Romana *Aolsthenii* recitantur (b). Multi post *Baronium* asserunt, *Eugenium* Secundum sedisse annos *tres*, menses *duos*, dies *viginti tres*, & die *xi.* mensis *Augusti* supremam diem obiisse. At *Clarissimus Pagi*us perdocte ad annum *decxxxvii.* observat, quod cum nullibi apud antiquos dies mortis *Eugenii* Secundi memoretur. incompertum omnino est, quot menses, & dies supra annos *tres*, *Eugenius* Secundus Romanam Ecclesiam administravit, illudque dumtaxat certum, eum tribus annis sedisse. Secundo substitutus est *Valentinus* patria Romanus, qui incredibili omnium ordinum applausu ex *Archidiacono* Pontifex Maximus fuit ordinatus. Sed hanc tam justam cunctorum gratulationem & latitiam, cum maxime gestiebat, excepit luctus, & summis gaudiis acerbissimum de morte illius Pontificis intercurrebant dolores. *Quadragesimo* quippe die ab inauguratione sua e vivis sublatus est Pontifex ille Sanctissimus. *Valentino* in Sede Pontificia successit eodem an. *decxxxvii.* *Gregorius* hujus nominis *IV.* gente etiam Romanus, sed mense & die incertis, cum dies ejus emortalis ignoretur, quemadmodum duratio cessationis Sedis post *Valentini* Papae obitum. Testatur *Anastasius* Bibliothecarius, *Gregorium* Quartum fuisse genere clarum, divinarum litterarum solertissimum inquisitorem, Ecclesiarum indefessum visitatorem, pauperum patrem, Viduarum nutritorem, ac rerum humanarum contemptorem. Corpus *S. Gregorii Magni* ad Ecclesiam, ubi etiamnum jacet, translulit *Gregorius* Quartus, &

Corpora Sanctorum *Martyrum Sebastiani*, *Gorgonii*, ac *Tiburii* ex Coemeteris, in quibus erant recondita, translulit ad Ecclesiam Sancti *Petri*. Multas Urbis Basilicas instauravit, ditavit, exornavit. In Gallias venit, sicut in superiori Colloquio observavimus, ut *Ludovicum Pium* cum filiis reconciliaret. Sed Antistites Gallicani, qui falso rumore decepti sibi persuaserant, Summum illum Pontificem eo animo accessisse, ut *Ludovicum Pium* Imperatorem, & *Episcopos* ipsi addictos excommunicationis fulmine percelleret, asperiores litteras ad eum dederunt, eique depositionem comminanti sunt, teste *Paschasio Radbeno* Monacho *Corbejensi* in Vita *Wala* Abbatibus lib. 2. Has *Episcoporum* Gallicanorum minas merito contemnens Pontifex Maximus, adulationis, superbiae, & perjurii illos redarguit, appellavitque *Arundines vento agitatae*, ut videre est in Epistola, quam ad eos scripsit, & quae extat inter *Agobardinas*. Non diu tamen duravit haec Pontificem Maximum inter, & Antistites Gallicanos concertatio. Nam statim ac Antistites Gallicani compertum habuerant, *Gregorium* Quartum Summum Pontificem in Gallias venisse, ut inter *Ludovicum Pium* Imperatorem, ejusque perduelles Filios pacis sequester esset, discussis omnibus nebulis, eum ut patrem & Magistrum omnium Ecclesiarum coluerunt, Pontifex vero ut fratres complexus est. Fructu tamen caruit *Gregorii* *IV.* in Gallias iter, reque infecta, sua relegit vestigia, Romamque reversus est. Discimus ex *Adone* *Viennensi*, qui nono saeculo vixit, *Ludovicum Pium* Imperatorem, monente *Gregorio* Quarto, statuisse ut in suis *Diocesis* Festivitas omnium Sanctorum, quam in Urbe Romana *Kalendis* *Novembris* jam instituerat *Bonifacius* Quartus, perpetuo ageretur. Quam Sanctam Constitutionem reverenti amore suscepit omnis Ecclesia, inquit idem Scriptor in suo Martyrologio, idemque testatur *Sigebertus* ad annum *835.* (c) Obiit *Gregorius* *IV.* postquam sedisset annos *sexdecim*, octavo *Kalend.* *Februarias*, An. *decxxliii.* ut produnt *Sigonius* lib. *v.* de Reg. Ital. & *Omphrius* in *Chronico* *Eccles.* Post mortem *Gregorii* *IV.* cessavit Pontificatus dies *quindecim*, sicut habent varia *MSS.* *Anastasiana* in fine editionis Regiae citata: quapropter *Sergius* *II.* ejus successor patria Romanus die *X.* *Februarii* ejusdem anni omnium ordinum consensu renunciatus & ordinatus est Pontifex Maximus. *Platina* in Vita *Sergii* Secundi ait. Sunt qui dicunt, *Sergium* primo quidem *Os porci* appellatum, & ob turpitudinem cognomen, *Sergii* nomen sumpsisse, eamque consuetudinem ad nostros mansisse, ut qui Pontifices crearentur, suo omisso, majorum nomina sibi inderent, licet ab omnibus non sit observatum. Verum, haec fabula est. Observat quippe *Baronius*, primum Pontificem, qui nomen mutavit, fuisse *Octavianum*, qui *Joannis* *XII.* nomen assumpsit. Censent etiam multi Viri eruditi, hunc *Sergium*, qui *Os porci* appellabatur, non fuisse *Sergium* Secundum, ut visum est *Platinae*, & *Godefrido* *Viterbiensi* in *Chronico*, nec *Sergium* Tertium, ut pu-

ut putavit *Baronius*, sed fuisse *Sergium* Quartum (d). Nonnulli post *Baronium* affirmant, *Sergium* Secundum Pontificem Maximum *Indulgentiarum* annorum, & trium *quadragesimarum* concessisse omnibus, qui Ecclesiam *SS. Silvestri*, & *Martini* visitassent, quod se in marmorea tabula antiquitus scripta legisse memorat ipsemet *Baronius*. Verum *Mabillonius* in Praefatione saeculi *v.* *Benedictini*, quod est Ecclesiae decimum, ait vereri se, ut explorata sit hac de re auctoritas, cum saeculo Ecclesiae decimo extent quidem vestigia *Indulgentiarum*, sed non hoc modo definitarum. *Papebrochius* etiam in conatu *Chronico-Historico* *Dissertatione* *XVII.* ostendit, *Indulgentiarum* usum hodie in Ecclesia sub ea formula frequentem, vix ante saeculum *xii.* in antiquis monumentis reperiri, & tabulam illam, quam se vidisse testatur *Baronius*, ante paucula sculptam fuisse. Sed super hac re legenda est jam citata *Mabillonii* Praefatio num. *cvi.* ubi de antiquitate *Indulgentiarum* pluribus disserit. *Ludovicum* Imperatoris *Lotharii* filium cum *Drogone* *Metensi* *Episcopo*, aliisque Antistitibus ac *Proceribus*, numeroquo exercitu Romam missum honorifice suscepit *Sergius* *II.* eumque, ut legitur in *Annalibus* *Bertinianis* *VI.* *Kalend.* *Februarii*, hoc est, die *28.* anni *decxxlvii.* postquam sedisset annos *tres* sine ulla mensium, & dierum appendice. Post *Sergii* Secundi obitum, Sedes Pontificia, ut legitur in quibusdam *Catalogis*, & in *Historia* *Platinae*, vacavit menses *duos*, & dies *quindecim*. Quare *Leo* hujus nominis *IV.* ejus successor, gente Romanus, consecratus est Pontifex Maximus die undecima mensis *Aprilis* ejusdem anni *847.* Eum Pontificatu dignissimum fecerunt pietas, modestia, justitia, populique amor, beneficentia in pauperes, assiduitas in vigiliis, & orationibus, eruditio sacra, prudentia cum mira simplicitate morum conjunctio. *Basilicas*, *Altaria*, & *Monasteria* in Urbe restauravit, *Saracenorum* cum magna classe ad Urbem diripiendam properantium impetum fregit. *Vaticanum* mœnibus cinxit, & *Leoninam* Urbem suo nomine appellavit, & *Alfredum* *Ethelvulphi* *Occidentalium* *Saxonum* in *Anglia* Regis filium sanctissimis praeceptis institutum, Regem inauguravit, & in filium adoptavit. *Hollstenius* in *Collectione* Romana *Concilium* Romanum sub *Leone* Quarto habitum, & *Canones* *xlii.* *Disciplinam* Ecclesiasticam spectantes in eo editos, promulgavit. *Labbeus* etiam eosdem *Canones* in *Tomo* septimo *Conciliorum* inseruit. Sed de hoc Concilio sub *Leone* Quarto Romae celebrato opportunius in quarto Colloquio differemus. Ad caelestem vitam migravit *Leo* *IV.* die *xvii.* mensis *Julii* anni *decclv.* postquam Ecclesiam Romanam gubernasset annos octo, menses *tres* & dies *sex*, sicut diserte legitur in *Codice* *MS.* *Anastasio* Bibliothecarii, *Thuaenio* in *Bibliothecam* *Col-*

bertinam translato. In vita, & post mortem multis miraculis clarus, *Fastis* Sanctorum adscriptus est *Leo* *IV.* ejusque corpus, ut antea observavimus, una cum Corporibus Summorum Pontificum *Leonum* hujus nominis *I. II.* & *III.* translulit *Paulus* *V.* Pontifex Maximus die *xxvii.* mensis *Maji* anni *mdcvi.* Post *Leonis* *Quarti* obitum cessavit Sedes Pontificia menses *duos*, dies *duodecim*, & *Benedictus* hujus nominis *III.* patria Romanus, invitus licet ac reclamans electus est Pontifex Romanus. At eodem tempore quorundam sceleratorum hominum *Factio*, *Anastasium* Presbyterum olim Cardinalem, qui a *Leone* *IV.* in Synodo Romae habita depositus, & anathemate vincitus fuerat, in Sedem Apostolicam per Summum nefas intrusit. Sed *Episcopis* universonum Clero, & *Populo* constanter resistentibus, & clamantibus, se velle *Benedictum* Beatissimum Papam, ejectus est *Anastasius* Antipapa, & summo omnium consensu *Benedictus* *III.* ordinatus est Pontifex Romanus die vicecima nona mensis *Septembris* anni *decclv.* *Hubertum* Clericum *Bosonis* Comitis filium, quorundam criminum insinulatum, *Benedictus* *III.* jussit infra dies *XXX.* Romam venire coram Sede Apostolica respsurum, & ea de re Epistolam dedit ad *Episcopos* in Regno *Caroli* *Calvi* Galliarum Regis constitutos. Variis ornamentis & muneribus, quae in ejus Vita recenset *Anastasius* Bibliothecarius, *Basilicas* donavit *Benedictus* Tertius. Ecclesiam Romanam annos *duos*, menses *sex*, & dies *decem* sanctissime rexit, & e vita excessit die octava *Aprilis* anni *decclviii.* Sublato *Benedicto* Tertio successit *Nicolaus* hujus nominis *Primus*, electus Pontifex Romanus, praesente *Ludovico* Secundo Imperatore, & *VIII.* *Kalend.* *Maji*, seu die *xxiv.* *Aprilis* ejusdem ann. *decclviii.* ut ait *Anastasius* Bibliothecarius, coronatur, Urbs exultat, Clerus letatur, Senatus & Populi plenitudo magnifice gratulatur.

„ (a) Acris postremis hisce annis agitata controversia est *Cl. Fontaninum* inter & *Muratorium* de veritate donationis hujus *Ludovici Pii*, quam ad fictitia *Muratorius* rejecit, *Fontaninus* sinceram defendit, praesertim in libro Romae edito: *Difesa del Dominio della Sede Apostolica su Parma e Piacenza.* *Muratorii* momenta eadem sunt, quae olim *Pagi*us deprompsit. *Fontaninus* expendit in rem suam scriptorum a saeculo *XI.* persuasionem. *Cl. Dominicus* *Georgius* in suo monitu ad hanc *Ludovici* constitutionem a se editam juxta codicem *Vaticanum* saeculi *XI.* addit testimonium scriptoris veteris vitæ *Josue* *Abbatis* *Vultur-nensis*, qui anno *817.* interfuit conventui *Aquisgranensi* sub *Ludovico* *Pio*, cujus *Authoris* haec sunt verba: *Tunc quoque Beatissimo Paschali pactum constitutionis & confirmationis faciens (Ludovicus) etiam propria manu, & trium filiorum suorum signaculo illud corroborans, per Legatum S. R. E. Theodorum Nomenclatorem predicto Papa transmisit &c.* Haec apprimè conveniunt cum verbis donationis *Ludovici* *Pii.*

„ (b) Ro-